Disputatio inauguralis medica de rabie seu hydrophobia / [Philipp Heinrich Beyer].

Contributors

Beyer, Philipp Heinrich, active 1666-1669.
Justus Liebig-Universität Giessen.

Publication/Creation

Gissae : Literis Kargerianis, [1669]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vu6crg6y

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA DE RABIE Seu HYDROPHOBIA,

QVAM

COELESTI ARCHIATRO CLEMENTER ANNUENTE,

EX AUTORITATE ET CONSENSU

NOBILISSIMI ET GRATIOSISSIMI

MEDICORUM ORDINIS

IN ILLVSTRI AC INCLYTA

LVDOVICIANA

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores & Privilegia Doctoralia ritè impetrandi,

Excell. Dn. Dn. PROFESSORVM

examini ſubmittit

PHILIPPUS HENRICUS

Beyer Mœno-Francofurtanus.

Ad Diem 18. *Martii M. DC. LXIX.*

Horis & loco conſuetis.

GISSÆ, Literis KARGERIANIS.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

DEO
ET
PATRIÆ.

ADSIT S.S. TRIAS!

Proœmium.

Ui de *Canum* natura & moribus ſcripſerunt, præter horum ſolertiam vigilemque excubationem, admirandas planè, & notatu digniſſimas de amore & fidelitate erga dominos hiſtorias recenſent, uti apud *Geſnerum* præcipuè & *Aldrovandum in hiſtor. canis*, aliosve plures videre eſt. Quemadmodum verò ſæpiùs accidit, ut, qui amiciſſimi nobis videri volunt, illi ipſi ſint, à quibus vel maximè caveri debebat, juxta *Horatii* monitum;

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes:

Ita quoque vel ab ipſis *catellis*, ut vocant, *Melitæis*, quos multi in deliciis habent, & quaſi in ſinu fovent, præſentiſſima amatoribus pernicies non ratò affertur; ut non ſine ratione, quæ imprimis nobis noxia eſſe conſueverunt, *cane pejus* proverbiali dictione *fugere* jubeamur. Quodſi enim blanditiæ iſtæ in rabiem degenerent, en! præſentiſſimum venenum, quod vel leviſſimè factâ communicatione homini miſerrimam mortem non minitatur ſolùm, ſed certò infert, niſi maturè auxilium feratur. Equidem & alia animalia in rabiem efferari, cùm rerum & Autorum teſtimonia adſint, non eſt ut negemus, conſtat

tamen frequentiùs hoc malo canes corripi, quod fortè movit *Galen. ut l. 6. de loc. aff. c. 5.* solos canes rabie corripi scripserit, quē etiā, (quamvis assertū hoc miretur) excusare studet doctiss. *Valleriol. l. 3. obs. 3.* Et procul dubio causa hæc est, quod, dùm autores *de Rabie* agere instituunt, plerumque de *Caninâ* labores suos inscribant. Cæterùm non sine horrore leguntur historiæ illorum, qui miserrimo hoc morbi genere perierunt; inter quos & Juris peritissimus *Baldus* (teste *Foresto lib.* 10. *obs.* 27. *in schol.*) recensetur. De hoc igitur affectu (quem ὑδροφοβίαν vulgò nominant,) cùm Gratiosissima Facultas Medica, ut pro *inaugurali disputatione* aliquod eligerem argumentum, benevolo mihi indultu concesserit, nonnulla literis consignare animo constitui, non quod mearum virium esse confidam, sive dignitatem sive difficultatem hujus negotii justa tractatione assequi: sed potiùs, quòd in id generis argumentis, tàm publicè, quàm privatim informari ampliùs, atque erudiri maximè desiderem. Neque vitio mihi vertetur, sicubi sæpiùs rem acu haut tetigero; cùm enim, ut scribit *Borellus Cent.* 1. *obs.* 74. nulla abstrusioris indagationis exempla in tota sint Medicinâ, quàm quæ cottidiè in demorsis à cane rabido obveniunt; facilè quilibet colliget, me non nisi laudabili excitatum discendi ardore, minimè verò virium & ingenii fiduciâ in hanc arenam descendisse. Ne verò illotis hoc fiat manibus, DEUM T. O. M. supplex veneror, dignetur mihi suam largiri benedictionem, ut omnis meus labor imprimis in Divini Nominis sui gloriam, Doctorum atque Ductorum meorum honorem, certam ægrotantium salutem, meique denique ipsius emolumentum cedat!

CAP. I.

CAPUT I.

Tàm *Nominalem* quàm *Realem* definitionem exhibet.

§.1.

Ydrophobiam, affectum sanè miserrimum, imò naturæ (ut *Heredia* inquit *lib.*1. *disput.*1. *cap.*1. *de Hydrophobia*) miraculum explicare dùm adgredior, meritò ad tria illa, *quæ Gal. in front. l.*1. *de vict. rat. in acut.* τὰ ἐπίκαιρα ἔοντα εἰς τέκμαρσιν, *tanquàm opportuna ad bene medendi rationem*, proponit, animum adverto.

§.2. Sunt autem illa *Diagnosis*, *Prognosis*, & Θεραπεία. *Diagnosis* primum obtinet locum, tàm quà rei essentiam, quàm quà παθογνωμονικὰ ejusdem signa respicit. *Prognosis* prænotio futurorum alteram classem constituit. Θεραπεία verò, servati civis coronam hiscè tandem quasi imponit.

§.3. In *Diagnosi* quatenùs affectus essentiam & ideam respicit, duplex se sistit in limine *definitio*, una *nominalis*, altera verò *realis*. Nominalis est nominis interpres sermo & absolvitur *Etymologia* & *Synonymia*. *Synonyma* plura adsunt. Autores enim qui de hoc affectu tractant, varias eidem appellationes imposuerunt. A plerisque *Hydrophobia* vocare suevit, quòd eò affecti, aquam, imò omnia liquida exhorrescant, de quo infra. Aliis insuper sub nomine *rabiei canina*, *morsus canis rabidi*, vel *veneni* canis rabidi venit, uti apud *Cardanum*, *Mercurialem*, *Capivaccium*, & alios videre est. Idque non propterea, quod non nisi à canum rabie hoc malum infligi queat; (nam & alia quoque animalia in rabiem ferri, supra jam innuimus. Sic teste *Aureliano l.*3. *de Morb. acut. c.*9. *& Barth. cent.*5. *hist.*52. lupi, ursi, leopardi, simiæ, asini, muli, mustellæ rabie corripiuntur, atque ab eorum morsu in rabiem homo incidit. Præter dicta animalia, leones etiam rabie tentari atque feles testantur *Zac. Lusitan. lib. V. histor.*17. *pag.*846. *Schenck. lib.*7. *pag.*859. *Pareus lib.*9. *c.*15. *Amat. cent.*7. *curat.*65. gallum

quoque rabie affectum, triduoque hominem interemisse notavit *Baccius* in suis *prolegomen. & antidot.* it. *Hildan. cent.* 1. *obs.* 86. *pag.* 65. *Sever. de vip. pag.* 147. *&* 377.) Sed quòd canes, ob peculiarem & naturalem ad hunc affectum contrahendum inclinationem, uti placet *Codronchio* c. 9. præ reliquis animalibus in rabiem agantur, cumque inter homines familiariùs alantur, frequentiùs etiam ab illis malum hoc ipsis domesticis infligatur. Præterea *Cæl. Aurelianus*, *Heredia* & alii quàm plurimi aliam tradunt inscriptionē, de his, qui aquam timent, vel de affectione formidinis aquæ, vel ut Græci appellant, ὑδροφοβία. Hinc *Aurelianus* scribit, *hydrophobiam* nomen sumpsisse ab accidenti, quod est vehemens *aquæ timor*, & quamvis rabidi omnem liquorem metuant, à metu solius aquæ, quam magis timent, consuetudinem primò obtinuisse nomen, quòd inter cæteros liquores plurimùm aqua præstet, & propterea *C. Cels.* & *Galen. lib.* 9. *meth. medend. cap.* 5. ita affectos à Græcis *hydrophobos*; *Budæus* verò *in commentar. ling. græc.* hydrophobicos, & *Mercurial.* hyttoptos appellari, testantur. Germanis dicitur Wasser-scheu. Sed satis de *nomine*.

§. 4. *Rem* ipsam nunc videamus, quæ omnium optimè definitione explicatur; Omnis enim quæ à ratione suscipitur de aliquâ re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id de quo disputetur, verba sunt ipsius *eloquentiæ parentis lib.* 1. *Officior.* Placet autem nunc talem sistere: *Hydrophobia est affectus p.n. à veneno quodam peculiari in animali (& præsertim cane) genito, & homini communicato, cum delirio vehementique liquidorum omnium, sed aquæ potissimùm, abominatione. Generis* loco *Morbum* pono. Est enim p.n. corporis dispositio, ob quam variæ ejus actiones læduntur. Cùm verò triplex morbi genus occurrat, prout nempe vel *similarium* vel *organicarum* partium constitutio læditur, vel denique his communis *unitas* solvitur: priùs expendendum, ad quodnam morbi genus πάθημα hoc miserandum, pertineat? Eò expeditò posteà ad causarum penitiorem indaginem nos conferemus. Et licèt *continui solutio*, quæ morbus communis vocatur, quàm maximè cum hoc affectu concurrat, dùm nimirùm rabiosum animal cuidam corporis parti vulnus infligit: ab hac tamen simpliciter malum hoc non provenire, ex

eo pa-

eo patet: quoniam 1. non omnis partium solutio, nec 2. omnis animalis morsus hunc affectum producit, & 3. quandoque etiam citra morsum ac unitatis solutionem, solo veneni appositu, hydrophobia inducitur. Deinde nec ad instrumentalium morborũ genus hic referri affectus potest, propterea quod in eo nec partium *conformationis* vitium adsit, nec *magnitudo* vitietur, nec *numerus* excedat aut deficiat, nec denique *situs* & *connexio* varientur: Horum enim quodlibet in pristino suo atque naturali statu persistere, nec manifestè mutari, certum est. Relinquitur igitur tertium morborum genus, quod *similarium* partium *intemperiei* debetur, ubi quidem non tàm in *qualitatibus manifestis* quàm potiùs *occultis*, radicem mali latitare, adeoque totius substantiæ morbis hunc affectum annumerandum cum Celeb. *Horstio*, *Tom.* 3. *pag.* 103. aliisque pluribus existimo. Neque obscurè id symptomata supervenientia docent, longè scil. graviora, quàm aliàs simplicis morsûs natura præ se ferre solet; ut de occulta vi, quâ cor ex improviso impetitur, nihil jam dicamus. Neque moveri me possunt, quòd nonnullis hæc ad morbum totius substantiæ evincendum parùm facere videantur, ut proinde pro simplici per morsum quemvis inflicto vulnere vel ulcere haberi debere credam, siquidem non tàm morsus, quàm potiùs, quod mediante hoc communicatur, virus hîc considerandum venit, quô præsente, cur non, qualis causa, talem quoque effectum esse pronunciemus? Absolutô *genere*, ad *differentiam* specificam, quæ est altera pars essentialis nostræ definitionis, in qua scil. formalis ejus consistit ratio, per quam hydrophobia ab aliis affectibus distinguitur, me converto; delineatur autem hęc in reliquis verbis, ubi talis indigitatur morbus, qui *à veneno quodam peculiari in animali genito dependet, homini communicatur, eumque delirio ac vehementi liquidorum omnium, sed aquæ potissimùm abominatione conjungitur.* De quibus nunc pro instituti ratione viriumque modulo paullò fusiùs agemus.

CAPUT II.

Subjectum proponit.

§.1.

FOrmali ratione, *genere* scil. & *differentiâ* explicatâ ad *materialem*, *subjectum* nimirùm, pergo: In definitione quidem *totius corporis* mentio facta est, interim in designando πρῶτῳ δεκτικῷ maximum occurrit pondus, dissentiunt enim summopere inter se Autores: *Nervos* quidam pro loco affecto accusârunt, eâ ratione permoti, quòd in rabie fiant convulsiones & alia videantur nervorum mala. Alii *membranam Cerebro proximiorem* pro parte affecta agnovêre, quoniam rationalis animæ domicilium in hac membrana esse situm, existimabant: Quidam in *Diaphragma* potissimam culpam transtulerunt, quòd dolor in ipso & impedimentum occurrat. Alii *os ventriculi* accusandum judicârunt, eò quòd vomitus bilis, singultus & appetentia insatiabilis bibendi in rabie adsint, quæ omnia sunt ventriculi symptomata: Quorundam ea fuit opinio, *Cerebrum* & ejus *membranas* esse propriè sedem affectam: Sunt qui arbitrentur locum affectum non esse unum, sed plures, *cor* scil., *ventriculum*, *diaphragma*, *caput* & *ilia*: Inter alios *Mercurialis* & *Costerus* cùm existiment essentiam hujus morbi sitam esse in *aquæ timore*, locum propriè affectum *cerebrum solùm* esse autumant, cùm irrationalis aquæ timor immediatè à prava cerebri intemperie proveniat.

§.2. Nos verò ut distinctè hac de re agamus, distinguimus inter subjectum *Primarium* & *Secundarium*: illudque *cor* esse, hoc v. *totum corpus*, statuimus. Cùm enim ex hactenùs dictis constet, malignitatem in hoc affectu utramque paginam, ut ajunt, implere, procul dubio *cor* præcipuè à Veneno, vitæ fonti suâ naturâ insidianti invadetur; posteà verò & reliquæ corporis partes veneni vim experiri coguntur, modò hæc modò illa majori quidem cum impetu, prout veneni præsentis natura, vel huic, vel alii parti peculiari, nobisque ut plurimùm absconditâ ratione adversatur: Sic lepus marinus post cor, *pulmones* lædit, cantharides *vesicam*, hyosciamum *cerebrum*; & quàmvis venenum antequàm ad

cor

cor perveniat, multas pertranſeat partes, eas tamen primò non lædit, quoniam in quacunque corporis parte inſignis Spirituum vitalium copia reperitur, quibus, cùm venena adverſa ſint, accidit, ut illi tanquam hoſtem hunc averſantes ac fugientes, ad principium, centrumque, cor, ad ſedem veluti propriam ac tutiſſimam ſeſe recipiant, illudque per conſequens inſigniter lædant, & veneno ita imbuti cor inficiant atque coinquinent. Quæri autem hîc poſſet qui fiat, quòd, cùm res ita ſeſe habeat, aliæ partes, per quas illi infecti ſpiritus vitales transeunt, antequàm ad cor perveniant, non inficiantur? Ubi quidem hanc ſubeſſe cauſam autumo, quòd pedem ibi non figant, ſed tranſeant ſaltem per illas partes, adeoque vim ſuam atque efficaciam, uti in corde, in quo veluti concentrantur, magisque accenduntur ſpiritus, exerere haut valeant. Præterea & ſi videatur, quod cùm ſpiritus vitales veneno facti ſimiles ſint, potiùs debeant confugere ad locũ veneni, quàm ad cor, nihilominus cùm major analogia interveniat ipſis cum corde, à quo tanquàm à principio prodeunt, quàm ipſis venenis, propterea ad ipſum (cor inquam) ſtatim confugiunt. Cœterum, licet *ſecundarii* ſubjecti vicem varias quidem corporis partes ſubire poſſe, non negem, imprimis tamen *cerebrum* hoc in affectu laborare, cum hoc actiones ejus læſæ ſatis oſtendant, ſtatuere nullus dubito.

CAPUT III.

Cauſam rimatur *immediatam* & *proximam*.

§. 1.

IMmediatam igitur hujus mali *cauſam, venenum peculiari modo diſpoſitum, & ab animali rabido corpori communicatum* eſſe, ex definitione eſt colligere.

§. 2. Sunt equidem, qui indolem atque ideam rabiei in exceſſu ſolùm qualitatum manifeſtarum ſiccæ ſcil., vel calidæ & ſiccæ, ac in corruptione humorum manifeſtâ conſiſtere putant, verùm meliùs iſti nobis ſentire videntur, qui proprietatem quandam occultam, atque venenoſam agnoſcunt, id quod etiam ex eo

mani-

manifestatur, quòd, sive cum *Fracastorio l. 1. de morb. contag. c. 3.* *putredinem*; vel cum *Ægineta*, *Aëtio*, & aliis *intemperiem calidam & siccam*, vel cum ipsius *Galeni* Præceptore *Pelope immodicam siccitatem* accusare velimus, nuspiam tamen firmo stare talo detur: neque enim vel putredinis signa adsunt, vel dictæ intemperies ad constituendam hujus mali essentiam sufficiunt; quin potiùs si adessent, queî quæso tamdiù insignis caliditatis & siccitatis effectus latitare posset, absque multivariâ actionum corporis læsione? ut ne quid jam dicam de curatione, quæ si malum à manifestis proveniret causis, longè faciliorem sese, nob. ostenderet, neque ad ea, quæ occultis viribus agunt, confugiendum esset.

§. 3. Commodè hîc subvenit exemplum à *Fernelio lib. 2. de abdit. rer. caus. c. 14.* adductum de quodam lupo rabido, qui utut variè præparatus fuerit, tamen omnes illi, quibus esui propinabatur, rabie correpti sunt, quod fieri non potuisset, si natura & essentia hujus mali consisteret in primis qualitatibus ac in temperamento, cùm ignis omne temperamenti genus facillimè mutare, rerumque omnium, quæ coctione vim ejus recipiunt, qualitates manifestas superare possit.

§. 4. Cœterùm ita cum veneno hoc comparatum est, ut eodem infecti, alii citiùs, alii tardiùs in rabiem agantur: nonnulli statim & post paucos dies, & infra septimanæ spatium, quidam post longius tempus; sed plures adhuc post quadraginta dies, teste *Cœl. Aurelian. d. l. Musa Brasavolus*, lib. 2. aphor. comment. 23. scribit, repertos esse aliquos, qui 17. anno post morsum rabiem contraxerunt. *Guainerius* in tract. de venen. cap. 12. scribit, se à fide digno accepisse, quendam post decimum octavum annum à canis rabidi morsu in metum aquæ incidisse. *Nicolus Florentinus* testatur filium interfectoris in campo S. Pauli Venetiis à cane rabido demorsum, & curatum à Medicis non edidisse rabiei signa, nisi transactis octo mensibus. *Gesnerus lib. 3. epist. medic.* scribit de quodam lithotomo, qui ante 6. vel 7. hebdomadas à cane rabido morsus, cùm interim nihil mali sensisset, statim aquæ timore superveniente, intra biduum mortuus sit. Post tertium annum Thessaloniæ hominem à cane rabido morsum in

rabi-

rabiem agi, vulgus vidit & testatur *Amat. Lusitan.* cent. 7. schol. curat. 41. Immò v. ad 40. usque annos hujus veneni seminarium latuisse annotavit *Horstius*. *Salmuth* quoque cent. 1. observ. 96. Venenum canis rabidi diù latitans recenset. Post 7. mensem in rabiem incidisse Adolescentem quendam recenset *Forest.* 10. *obs.* 28.

§. 5. Rei hujus admirandæ ratio si quæratur, hæc forsan reddi posse videtur: Veneni ex morsu canis rabidi (de quo principaliter loquimur) ea plerumq; natura ac proprietas est, ut non cõfestim atque de subito primo insultu hominem ad extrema, id est, aquæ metum, & hunc consequentem mortem deducat, quod pleraque, alia vehementiora venena scorpii, viperæ &c. faciunt: Sed tam diu manifestâ absque læsione in corpore delitescere potest, usque dùm tractu solo temporis aliquâ principali parte consentiente, universum corpus alterare potens est, uti colligendum ex Galen. 6. de loc. affect. c. 5. Pariter quemadmodum venena alia intùs accepta nonnunquam citiùs, aliquando tardiùs interimunt, ita & venenum rabidum agere potest. Apud Scythas quasdam radices mortiferas reperiri, quarum aliæ confestim ubi fuerint gustatæ, aliæ post interimant, & harum aliæ celeriùs, aliæ tardiùs, ita ut nonnullæ tabe quâdam paulatinâ possint consumere, testatur *Theophrastus* lib. 9. de hist. plant. cap. 15. Turcas & Indos, qui venena scitè tractant, eadem ad determinatum tempus ita dextrè & artificiosè concinnare, ut rarò suis frustrentur votis, auctor est *Amat. Lusitan.* in cent. 6. curat. 88. De qua re ulteriùs possunt consuli *Ponzettus lib. 1. cap. 13.* it. *Amat. Lusitan. cent. 2. curat. 65. Joubert paradox. 3. lib. 27. Pareus de venen. cap. 3.* Verùm diversitatis hujus ratio adscribenda esse videtur vel ipsi veneno, vel subjecto cui inditur, vel extraneis causis resistentibus: *Veneno*: quod vel fortius vel debilius est, idque aut à tempore, aut individui, unde id ad hominem emanat, constitutione ac rabie: hinc quò venenatius est animal, ac sæviore rabie percellitur, eò truculentius & majoris activitatis venenum excutit: eoque magis, quo id fit tempore ferventiore & sicciore. Ipsius *subjecti* ratione, vel citiùs vel tardiùs operatur venenum, nam si corpora imbecilla sint, vel pravis humoribus referta, citò venenum in illa agit: si robusta & excrementis vacantia, tardiùs.

§. 6. His porrò accenseri potest victus ratio & aëris ambientis qualitas. Nam si demorsus pravâ utatur victus ratione, & aër sit intensè calidus, facilius venenum edit suam operationem; quod probat morsus Aspidis, qui, si sub sole ardenti, in media æstate aliquē mordeat, in momento quasi hominem mori, ferunt: quòd si verò tempore hyberno & frigido contingat, tardiùs vitâ privatur, nam æstivo tempore in pravaque victus ratione, deteriùs venenum, & majoris efficaciæ producitur: temporibus frigidis, ac in bona victus ratione, quæ veneno huic resistere possit, mitius, ac minoris virtutis generatur. Præter hæc omnia denique ipsius *quoq; partis*, quæ demorsa est, ob varietatem nunc citius, nunc tardiùs rabie tentari demorsos posse cōstat: Si enim vena, arteria, nervusq; comorsus fuerit, citiùs & breviore tempore, partibus nobilioribus & principibus venenata qualitas communicatur; præsertim, si rabies mordentis canis fuerit intensa, subjectumque, maximè dispositum ad concipiendam flammam: sin secus, tardiùs. &c.

CAPUT IV.

Causam Mediatam, *Internam* & *Externam* explicat.

§. 1.

CUM de causa proximâ atque immediatâ in præcedenti capite dictum sit; ordine sic requirente, de causâ *Remotâ*, atq; *mediatâ* agendum venit. Duplex autem ea occurrit vel *interna* vel *externa*.

§. 2. *Internam* quod attinet, generari venenum hoc cum Viris Doctissimis statuimus ex peculiari humorum in cane, aliorumque animalium corruptione, & pravitate, quam in temperamento minimè consistere, inde patet, quod alias omnia animalia, quæ rabie corripiuntur, ejusdem essent temperamenti, id quod tamen cum ratione & experientia plurimùm pugnat. Consistet itaq; in occulta potiùs & ineffabili horum ἰδιοσυγκρασίᾳ: quemadmodum & in aliis, quæ à proprietate aliquid agunt vel patiuntur,

tur, fieri obſervamus. Quòd verò hoc venenum haut conſequatur ullam inſuper temperamenti conditionem, ſed à proprietate, & ut loqui amant cum Philoſophis Medici, à totâ ſubſtantia ſit, inter alia quoque hinc porrò patet, quòd non ſolùm maximo æſtu, ſed etiam frigore maximo canes & lupi rabiem incidere ſoleant, quod ſi à caliditate & ſiccitate tantùmmodo affectus hic produceretur, fieri minimè, ut arbitror, poſſet; cùm à cauſa frigidiſſimâ effectus calidiſſimus non, niſi fortè valdè per accidens, oriatur; quin potiùs ab utroque exceſſu cùm humores corrumpere, vel movere corruptos uterq; aptus natus ſit, hoc accidere vero maximè conſentaneum videtur.

§. 3. *Externa* cauſa nobis dicitur, quæ extrinſecè accedens malo occaſionem præbet, ubi quidem contagium utramque implet paginam: Cùm verò hujus plures occurrant modi, ut diſtinctè res proponatur magis, de ſingulis ordine dicemus.

§. 4. *Primò* igitur venenum hoc per morſum, ſive eò inflictum vulnus ſalivâ ſeu ſpumâ in corpus immiſsâ, communicatur, Expertus eſt id præter alios oppidò multos, ſponſus ille nobilis, cujus meminit *Salmuth. Cent.* 1. *obſ.* 96. *p.* 58. qui ſponſæ ſuæ brachia, ſcapulas &c. [horribile dictu;] canis inſtar, dentibus arroſit ac dilaceravit. Neque verò à morſu tantùm canis, vel aliorum animalium rabidorum funeſtum iſtiusmodi periculum infertur, quin ipſe homo homini lupus quandoque eſt, quod in proverbio aliâs dicitur, ſiquidem rabie correptus ubi alium momorderit, rabioſum efficit, uti *Galen. l.* 6. *de loc. affect. c.* 5. ipſaque experientia docet. Neque mirum hoc eſt, cùm & irati hominis morſum mortem non rarò ſecutam Paulus *Ægineta l.* 5. *c.* 26. *Celſ. lib.* 5. *cap.* 26. aliique teſtentur, cujus etiam non nulla exempla notatu digna *Zacut. l.* 3. *prax. admirand. obſ.* 84. proponit,

§. 5. *Deinde* citra morſum quoque, ſolâ ſpumâ ſcilicet vel *manus impoſitione, vel deoſculatione*, communicatâ labes hujus mali affricari poteſt. Sic duos ſe vidiſſe teſtatur *Matthiolus in lib.* 6. *Dioſcorid. c.* 36. *qui ſpuma tantùm perfuſi*, nullo quidem ex morſu accepto vulnere miſerum rabiei affectum contraxerunt. Equidem *Petrus Salius lib.* 2. *c.* 10. *de morb. contagios*: & *Vidus Vidius part.* 2. *de curat. membrat. ſect.* 2. *cap.* 6. arbitrantur, venenum il-

lud non posse corpori communicari per simplicem contactum sed dilaceratione cutis indigere: nam tunc vapor veneficus dilaceratâ cute, & sanguine eductô, cum calore & spiritu per contactum dentis & spumæ animalis rabidi, interna viscera penetrat, & similem affectum inducit. Verùm enim verò licèt is non sim, qui tantis contradicere viris debeam, attamen non possum non fateri, tantum hîc apud me valere Galeni autoritatem cum ratione & experientiâ firmatam, ut deserere illùm haut possim. Tantam verò hîc in cane humorum corruptionem (ob innatam ejus concipiendæ dispositionem) fieri asserit, ut solùm ejus sputum, si humanum corpus saltem contigerit, rabiem (& consequenter hydrophobiam) excitare possit. Idem confirmat exemplũ, quod *Forestus* 10. *obs.* 27. refert de Baldo Juris utriusque peritissimo, qui Tridenti ex rabientis Catuli saliva inferiori labro vix approximata, quarto ab inde mense miserè occubuit. *Cardanus* quoque commemorat exemplum profectò mirandum *lib. de venen.* de Patritio quodam Veneto Alexandro Brasca, ex osculato cane rabiente, quem amabat, antequàm mitteret eum ad occidendum, rabido facto. Simile quidpiam Idem *Cardanus tract. de venen.* narrat, Patritium quendam Venetum Joannem Coqueranum infectum fuisse rabie post multos dies, ex solâ impositione manus in os canis rabidi, & si eum canis non momorderit. Simile quid *Palmarius lib. 6. de morb. Contagios. fol. m. 266. & 267.* ubi: *Tanta*, inquit, *veneni est pernicies, ut non morsu modo, sed solo etiam contactu saliva rabiem & hydrophobiam excitare visa sit.* Exemplumq; proponit cujusdã rustici qui hydrophobus, cùm liberos exosculatus esset, omnes ita infecit, ut septimô illicô die miserrimâ morte, miserrimum Parentem comitati fuerint. Insuper *Cal. Aurelian. lib 3 acut. morb. cap. 9.* it: *Zacut. Lusit. lib. 6. histor. 12. pag. 840.* & alii mentionem faciunt de quadam sartrice, quæ cùm vestem à cane rabido commorsam ore & lingua ad consarciendam contrectaret, rabie fuit correpta. Quin & sola inspirarione seu afflatu rabidi animalis aërem inficiente posse communicari hoc virus, inter alios confirmat *Cal. Aurel.* scribens, Themisonem, amico aquam expavescenti, morem gerentem, & officium exhibentem, similem contraxisse affectum. Hoc idem

qui-

quibusdam aliis accidisse confirmat, id autem non ex aëre venenato venire, sed ex quadam sympathia existimat *Dioscorides*. Idem asserit *Cal. Aurel. acut. morb. lib. 3. cap. 9.* quod tamen difficultate non carere videtur, siquidem nullæ tales manifestæ viæ ad cerebrum patent, quin potiùs cordi & pulmonibus, quippè ad quæ viscera facilè talis vapor venenosus (præsertim per inspirationem, quæ pulmonibus propria) inspirari potest, labem primò communicari, non adeò absonum foret statuere. Cœterùm licet non planè negemus istiusmodi communicationem, tamen ut rariorem agnoscimus, ita quoque non nisi, ubi venenivis maxima fuerit, locum habere posse, probabile judicamus. Cùm unguibus verò, quomodo rabiem inferre possint talia animalia rabida (quæ nonnullorum est assertio) nullam video rationem, siquidem in dentibus & saliva latere venenum, & non in unguibus, omnes affirmant; nisi dicamus, venenum non inferri ex unguibus simpliciter, sed ex unguibus salivâ venenatâ imbutis atque infectis.

§. 6. Quid tertiò *carnes animalium rabidorum commesta* efficere valeant, exemplum ex Fernelio superiùs allatum, non obscurè indicat. Sic ex Lycosthene narrat *Bauhinus*, hospitem quendam sceleratum convivis carnes suis à rabido cane demorsas apposuisse, ex cujus esu omnes rabiem contraxerunt. *Idem* hoc narrat; suem, cùm in rabiem acta esset, à rustico occisam & sepultam esse. Sed cùm negligentiùs & non satis profundè eam sepeliisset, accidit, ut tempore hyberno cadaver erutum vulpes devorarint, ex cujus esu vulpes & ipsæ rabidæ evaserunt & maxima parte miserè perierunt. Huc etiam pertinet, quod observavit *Timæus lib. 7. cas. 23. pag. 327.* Venenosum rabidi canis contagium, esu lactis vaccini communicatum fuisse.

§. 7. Neque silentio involvendum reor, (quandoquidem ad causam venenum hoc in corpore latens excitantem pertinet,) quod de arbore *Sorbo* Autores referunt, eos nempe, qui sub ea versantur, aut dormiunt, aut surculum saltem ejus tangunt, hydrophobiæ recidivam pati; accedunt & ad hanc arborem, *cornus*, & *sanguinariæ* tactus. De quibus *Matthiol.* inquit: *Si comorsi à rabido animali ante annum absolutum tetigerint vel cornus vel*

ſanguinaria plantam, eos inevitabiliter in rabiem incidere. Sic narrat *Guainerius tract. de venen. cap.* 12. venenum à morſu canis rabidi communicatum, quod per decem & octo annos latuerat, excitatum fuiſſe, cùm morſus ſub umbra ſorbi maneret, ægrumque intra tertium diem rabidum mortuum fuiſſe; quod & Fernelius affirmat. Ex quibus recenſitis duo colligere poſſumus: primùm cauſam hujus mali eſſe venenum totâ ſubſtantiâ peccans, prout ſuperiùs oſtendimus, nec ulli intemperiei adſcribi poſſe, quia nec à tactu, nec ab umbra, ac brevi temporis ſpatio, intemperies fieri valet. Alterum eſt inter hoc venenum & *ſorbum*, *cornum* & *ſanguinariam* maximam antipathiam, vel potiùs ſympathiam, ut aliis placet; cùm ab his excitari exemplis comprobatum ſit, cujus nulla alia manifeſta cauſa dari poteſt, quàm ea, quæ communis eſt omnibus his, quæ à propria ſubſtantia aliquam peculiarem facultatem habent, nimirum quod à proprietate illud agant: Sed de his nunc ſatis.

CAPUT V.

Diagnoſin exhibet.

§. 1.

ELegans eſt ſententia *Hippocr. lib. de Medico*; ubi, *ſolus is*, inquit, *qui ſignorum cognitionem habuerit, ritè curationem adgreditur.* Ut igitur fideliſſimi ductoris monitum obſervemus, neque empyricorum more in curationem præproperè nimis irruamus, ſigna hujus affectus ritè examinabimus. Cùm verò certi quid pronunciari nequeat prius quàm, nùm canis, qui vulnus inflixit, rabie correptus fuerit, nec ne; conſtet, ante omnia canis rabioſi quænam ſint indicia in limine quaſi oſtendemus.

§. 2. Canis igitur rabioſus potum & cibum averſatur, & quamvis, ut ſcribunt Autores, ſiti anguſtetur, non bibit, ſed eum fugit, imò quandoque poſt intuitum moritur, ùt ait *Rhaſes*; multã ſpumantemque pituitam naribus, & ore projicit, oculos habet rubentes ac igneos, in notos pariter atque ignotos ſine latratu irruit, eosque mordet, vox rauca eſt. Præterea, eſt macilentus & corpo-

corpore gracilis, caudam demissam inter coxas, tabescentem & extenuatam habet, linguam exertam, seu foràs pendentem, tanquàm bile infectam, croceam seu rubram vel nigram habet: interdùm sine causa percurrit, & deinceps subitò consistit, furiosaque quâdam indignatione non prævidentes aggreditur: uti videre est apud *Galen. lib. de Theriac. ad Pisonem, Hafenreffer. de affect. cut. libr. 3. cap. 6. pag. 386. 387. Joel. oper. medic. tom. 5. sect. 4. pag. 143. Sennert. lib. 1, part. 2. prax. cap. 16. pag. 433. Vid. Vid. part. 2. sect. 2. decurat. generatim. cap. 6. pag. 347. Gasp. a Reies. Fr. Elys. ej. jucund. camp. quæst. 61. fol. 465. Forest. observ. 10. obs. 27. pag. 350. Blas. medic. univers. pag. 391. Vffenbach. Thesaur. chirurg. lib. 20. de venen. cap 11. pag. 438.*

§ 3. Cùm ergò ex dictis jam satis pateat, quâ ratione canem rabidum dignoscere debeamus, è re quoque erit *Morsum*, nùm à rabido vel non rabido animali factus sit, diligentiùs examinare: scribit autem *Galenus*, morsum canis rabidi esse similem morsui canis non rabidi; ulcus excitatum à cane rabido, ex asse respondere aliis ulceribus per omne tempus. Imò extemplò, ubi morsu excandescens animal rabie in partem aliquam vulnus infligit, nihil plùs doloris aut molestiæ ab initio afferre videri, quàm vulnus nō rabiosi. Ad explorandū igitur, an animalis morsus sit venenatus, nec ne, nuces juglandes optimè tritas vulneri imponendas, & aliquot horis vel per noctem, aut diem (prout vulnus magnum vel parvum fuerit; cùm à magno vulnere felicius nucibus venenum communicetur) super vulnere relinquendas, & posteà ablatas gallo vel gallinæ objici devorandas injungit; si animal, quod momorderit, rabiosum non sit, sospites ac superstites aves manebunt; sin secùs, & rabie correptum fuerit, postera die peribunt, iterum què post paucos dies eâdem experientiâ utendum esse, monet. Triticum alii vulneri imponunt. Alii sanguinem ex vulnere detrahunt, & cum farina offam faciunt, quam deinde projiciunt gallinis, quæ si comederint eam & intereant, animal rabie erit correptum. Aliud experimentum proponunt alii, medullam scil. panis, mox vulneri affricari jubent, ut sanguine, aliovè succo ab ulcere emanante inficiatur, qui panis edendus offeratur cani, qui si illum non solùm non edere, sed ne quidem olfacere

facere voluerit; vel si comederit, inde rabidus fiat, aut moriatur; signum erit morsum fuisse animalis rabidi. Et hæc signa diagnostica sunt ratione canis rabidi.

§.4. Sequuntur nunc *hominis* rabie correpti indicia, quæque simul Mali vel *incipientis* vel *facti* naturam delineant: *Incipientis* verò rabiei primò jam signa recensenda veniunt; quæ Autore *Cœl. Aureliano lib.3. cap.11.* hæc sunt: anxietas quædam, & iracundia sine ratione, insueta corporis difficultas, seu impotentia quædam ad omnem actionem, ventriculi gravitas, vel vellicatio, somnus perturbatus, vigiliæ, timor sine ratione, querela de aëre inclementiore, & quasi austrino, etsi serenus & mitis sit, imbrium recusatio; parvum bibendi desiderium contra consuetudinem. Ægri secum loquuntur & murmurant, lucem abhorrent, locaque obscura quærunt, quandoque ipsorum oculis tenebræ offunduntur, & tunc lucem, imò in die etiam lumen accensum optant. In parte olim vulnerata & comorsa, & si ulcus jam longô temporis intervallo fuerit consolidatum, dolor quidam percipitur, versusque caput tendit; quod cùm apprehenderit, quædam vertiginis species excitatur, ut æger rectè progredi nequeat. Quæ signa sedulò ac diligenter observanda sunt, cùm sint rabiei instantis ac incipientis indicia.

§.5. Ubi verò *facta & confirmata est* hæc affectio, accidit membrorum quædam veluti distensio, pandiculationi similis, sed non continua; adest corporis & faciei rubor cum sudore, & languore quodam, anxii fiunt ægri, oculos torvos & aspectu horribiles habent, in proximos expuunt; quidam canum more, si à canibus morsi fuerint, latratus edunt, & obvios quosque dentibus impetunt, & id quidem sæpè præter voluntatem. Dignum notatu exemplum commemorat *Nicolus, explicans Gentilem in commentar. super Avicennam* de Adolescente quodam, qui dùm rabie detineretur, appropinquantes sibi mordebat, matrem verò suam hortatus ille, ut longè ab eo abesset, quoniam à morsibus se continere nequiret: in eo enim nondùm potentiæ intellectus corruptæ erant, quod ex valida potentiæ resistentia factum est, vel ex agentis imbecillitate. Huic non valdè absimile exemplum legere quoque est apud Gr. *Horst. Tom.2. pag.*332. & 333. Aliqui

ex his

ex his delirant, aliqui verò mente constant, usque ad ultimum vitæ terminum. Hoc interim omnibus commune est, ut miro hydrophobiæ symptomate vexentur; nec aquam solummodo, sed & liquida omnia abhorrent; cùm vident pauxillùm aquæ, tremũt ac convelluntur, & his assumtis maximè cruciantur: imò non solùm visum, sed nec sonitum & nomen aquæ, & liquidorum ferre possunt teste *Aureliano*. Unde verò tantus aquæ metus oboriatur, non est eadem autorum sententia. Putat *Avicenna*, rabientes, & si ob propriam Affectus hujus naturam aquæ potum desiderent, eam tamen ubi visu vel alio sensu percipiunt, aversari propterea, quòd in eâ per imaginationem depravatam canis præsens proponatur: hinc *quoties aqua*, inquit fen. 6. 4. tx. 4. c. 4. *eis approximat, imaginantur canem, quare timent ex eô*. *Eustachius Rudius lib. 4. de venen. c.* 13. aquæ timoris hanc esse causam arbitratur, quòd omnia humida actu sint hydrophobicis adversissima, quippè quæ venenum internum augeant. *Bravo Salmaticensis in suo libello de hydrophobiâ* statuit, venenum hoc veluti tyrannum quendam sic imaginationi imperare, ut omninò reformidet, quæ huic veneno opponuntur, esseq; præterea naturalem quandam antipathiam inter venenum & liquida, cujus ratione fugantur, & rabientem deterrent &c. Alii alias tam admirandi symptomatis rationes reddunt. Nec sanè mirum in tanta rei difficultate autores in varias abire partes, & veniam facilè merebor, si judicium hic potiùs suspendero, vel saltem cum *Gaspar. de Reyes Ely. Camp. q.* 62. præter antipathiam, quæ rabientium veneno cum liquidis intercedit, causam aliam inveniri posse, minimè sperandum esse, dixero. Interim diffiteri non possum, si ulteriùs progrediendum foret, valdè mihi arridere sententiam *Heredia*, quam T. 4. disput. 1. c. 1. exprimit, & cujus summa hæc est: hydrophobiam provenire, ex certa & peculiari cerebri dispositione, quæ splendorem liquidorum visu admittere non sustineat, ob summam antipathiam. Cæterùm non me latet, multos adhuc in imaginatâ canis in aquâ præsentiâ, tanquam verâ causa conquiescere, utpote non uno exemplo confirmatâ; verùm cùm rationes quæ ad hanc ipsam infringendam sententiam afferri solent, non sint minoris ponderis, subscribere priori parti

nondùm possum : Ipsum sanè *Galenum* si consulo ; invenio quidem illum *lib. de Theriac. ad Pison.* etsi fateatur, delirare hydrophobicos, nunquàm tamen canis apparitionis meminisse, sed ad mentis errorem formidinem aquæ reducere. Sed satis de causa hujus peregrini symptomatis. Nunc & reliqua prosequemur, quæ ad signorum censum pertinent. Pulsus itaque sunt inordinati. Quibusdam febricula accedit, nec omnes febre, & illa quidem intensa corripiuntur, sicut ex *Galeno* quidam dixerunt ; nam si febriunt, vel levis est febris, nec tàm fit ratione veneni rabidi, quam potius aliis ex causis. Saltus stomachi adest, torpor ac stupor articulorum, extenduntur præcordia ad superiores partes, alvus supprimitur : urina guttatim emittitur, & ut plurimùm omnia excrementorum genera retinentur, quamvis id in omnibus non contingat ; vox fit rauca, respiratio difficilis ; corpus jactant inordinatè, lingua prominet, & cùm morbus augetur, circa finem evomunt bilem flavam, & frequentiùs nigram, & singultu corripiuntur, quæ tamen symptomata in omnibus non observantur & cùm apparent post unum atque alterum diem moriuntur, aliqui etiam paulò ante mortem convulsionibus & maximo stridore dentium corripiuntur. Et hæc de *demonstrativis diagnosticis* sufficiant.

§. 6. Ordo nos jam ducit ad diagnostica *distinctiva* signa : quæ nimirùm discernunt *hydrophobiam* ab aliis *similibus affectibus* : tres verò commemorat *Cæl. Aurelian. Phrenitidem, Maniam & Melancholiam.* De *Phrenitide* primò, differt illa à rabie, quia Phreneticos febris continua, eaque ardens concomitatur, rabiosi verò pleraque nullâ vel exiguâ saltem febre corripiuntur. 2. In *Phreneticis* cerebrum, vel menyges inflammatione laborant, nihil verò tale in hydrophobicis apparet. Quoad *Maniam* ; A *Maniâ* quoque differt, licet ejusdem species quædam perhibeatur : neque enim vel aquæ timor, vel appetitus ad mordendum alios in *Maniacis* observatur, ut ut quoad furorem quodammodo hydrophobia & Mania convenire videantur. A *Melancholiâ* quâ ratione distinguatur, non obscurè patebit ubi signa melancholiæ παθογνωμονικὰ cum signis hydrophobiæ conferuntur.

CAP.

CAPUT VI.

Signa Prognostica refert.

§. 1.

PRognosin ut Diagnosi subnectamus, ordo tractãdi exigit. Neque illa sanè omittenda, cùm tanta hujus Med. partis sit necessitas, ut sine ea temerè ad sanandum cura suscipiatur. At verò *curationem optimè fecerit*, docente *Hippocr. l.1. prognostic., qui futuras prænoverit passiones.* Cùm autem in prædictionibus tria sint subinde observanda, siquidem, ut Galeni verbis utar *ex lib. 3. de crisib. An portando oneri quispiam sufficiens sit, hominis robore, oneris magnitudine, & viæ longitudine anteà explorandum est*: nihil de Ægrotantis salute priùs pronunciare licebit, quàm magnitudinem morbi, naturæ robur, ac futurum statum exploraverimus. Quare & nos tria hæc nunc pensitabimus, primò quidem proposituri.

§. 2. Signa *salutis* & *Mortis:* Hîc autem ratione *generis* statim fatendum est, affectum hunc gravissimum atque periculosissimum, id quod ex illis, quæ superiùs de ejusdem essentiâ, hancque comitantibus symptomatis in medium attulimus, facilè est colligere, unde negligi minimè debet, cùm nullus canis morsus parvi pendendus veniat. Interim *spes salutis* affulget, si malum in principio adhuc versetur; etsi enim venenum canis rabidi longè sit nocentissimum, nihilominùs tamen si mox inter initia, antequàm invalescit, & cerebrum invadit, convenientia remedia adhibeantur, non adeò difficulter curatur, verba sunt *B. Timæi* von Gülden Klee/ qui etiam tùm in multis aliis, tùm in hortulano suo hoc se expertum esse testatur *lib.7. Cas.22.p.326.* Eoque faciliùs succedit curatio, quô vulnus minùs profundum, isque quem memordit canis, constitutionis est validioris: plurimùm siquidem non minùs, ac in aliis causis venenatis, valet dispositio subjecti, quæ levi quandoque momento affligitur. Quin & causarum diversitas, modusque contagii, ipsiusque veneni vires multùm hîc ponderis obtinent, ut supra quoque innuimus.

§. 3. *Mortis* verò metum incutiunt ægrotantis constitutio

imbecillior, vulnerisque profunditas & livor, quodsi insuper vulnus arterias dilaceret, brevissimè rabiem inducit; siquidem venenum facilè hoc modo ad interiora unâ cum sanguine permistum penetrare, & varia symptomata producere potest: imprimis autem aquæ timor, ubi supervenit, omnem ferè curationi spem adimit, quemquidem non rarò vel ægri vel adstantium negligentia accelarat. Hinc *Aëtius*, qui à rabioso cane comorsi sunt, si negligantur, vel malè curentur, in aquæ timorem incidere scribit; cui & *Celsus* ὁμόψυφος est, inquiens: ubi ab initio parùm malo occursum est, aquæ pavor nasci solet. Idque si acciderit, ferè conclamatum jam esse (ceu dictum) plerique consentiunt; Ut unum è multis audiamus, verba *Heredia* afferam, *qui d.l. si autem*, inquit, *jam aquæ formido obsideat, desperata res est, ut veluti miraculum sit, mortis periculum effugere: quàm enim timentes moriuntur celerrimè intra tertium, quartum, aut quintum diem; nullus eorum, quos vidi, diem septimum attigit*, &c.

§. 4. *Longitudinem* & *brevitatem* v. quod attinet, *acutum* hunc esse morbum non est ut dubitemus, siquidem velociter tempora sua percurrit, cum gravissimorum symptomatum syndrome. Neque obstat, quod ut superiùs innuimus, ad plures sæpè annos latitare hunc morbum posse tot exemplis confirmetur; illud enim tempus, in quo nondum actu rabie corripitur æger, ægritudini nondùm adscribi debet, sed tùm demùm, ubi jam manifesta rabiei indicia præbentur; id quod cum veloci semper discrimine, & mira affectus celeritate conjungi suevit, uti ex cit. *Heredia* aliorumque testimonio non obscurè patet.

§. 5. *Modum Eventus salutaris* discusso fomite, & expulso rabido miasmate natura, multùm in salutem ægri sudans pollicetur: at verò, ubi hydrophobia supervenit; tunc rabies incrementum celeriter sumit, symptomata pleraque in diversis diversa, exacerbantur, donec miserabili delirio, (quod ministro cujusdam nobilis patritii, & cuidam Sartori Baronis, apud Gr. *Horst. d. l.* ob neglecta vulnera accidit) & maniaco quasi furore plerique *vitam cum morte commutant*.

CAP.

CAPUT VII.

Indicationes elicit.

§. 1.

COgnitis causis, signisque tàm *Diagnosticis* quàm *Prognosticis*, par erit, ùt, cùm à *Medendo*, *Medica ars* nomen acceperit, ad ipsam accedamus *Curationem*. Optimè autem Curatio succedet, si methodum medendi ritè observaverimus: monstrat enim hæc per *indicationes* suas, veluti statuas *Mercuriales*, quâ viâ ad præfixam metam, citra ambages, perveniri queat.

§. 2. Duo autem hîc potissimùm Medico peragenda indicantur: unum nempè, ut statim ac à cane demorsus est, vel alio modo ipsi venenum rabidum communicatum fuit, ne in rabiem aut hydrophobiam incidat, præservetur: ubi quidem tres se offerunt scopi; *primus* est, ut veneno morsu jam in corpus immisso ulteriùs progrediendi viam intercludamus; *Secundus*; ut operadetur, ne venenum communicatum per universum corpus diffundatur, ac membra principalia, ne id admittant, sed potiùs à se propellant, roborentur. *Tertius*, ut venenum, & ab eâ impressa mala διαθεσις seu malignitas extinguatur.

§. 3. Alterum quod potissimùm *indicatur* est, ut quando jam homo rabie correptus est, ac hydrophobiâ laborat, ab eâ quantùm quidem possibile, per valida remedia ex consuetis fontibus depromta, liberetur.

CAPUT VIII.

Præservatoriæ Indicationi satis facit.

§. 1.

UTitaque homo, ab hydrophobia (quippè quâ præsente curationis spes in angusto posita est) præservetur, nihil in crastinum differendum: *Ab omni* enim *arte*, verba sunt Hippocr. in Epist. ad Cratevam, *aliena est res dilatio, verùm maximè à Medicina*. Quare statim ac homo à cane vel alio animali rabido morsus est, aut linguâ, ore, vel alio modo sputum animalis teti-

git, ad valida properandum est præsidia; Verissimum enim hîc illud poëtæ:

Principiis obsta, serò Medicina paratur.
Cum mala per longas invaluêre moras.

§. 2. Mox itaque ex *fonte Chirurgico* varia in usum vocentur auxilia, ut recensito primo scopo satisfiat. Sistunt se primo in limine *Ligaturæ*, quæ postquàm vulnus (non aqua frigida ablutum, noxium enim hoc) sed linteis mundis & quidem siccis ac calidis probè absterſum fuit, non infeliciter, veneno ad interiora cursum affectanti, viam intercludunt: fortiores tamen, monente *Celso l.5. c.27.* esse haut debent, ne pars torpeat. Quod si verò hujus conditio Ligaturæ usum respuat, adstringentia medicamenta illarum subire vicem possunt, ut *sanguis dracon. balaust. bol. armen. &c.* Posteà quoad secundum scopum Extractioni veneni simul statim opera danda est: inserviunt hîc quàm maximè cucurbitulæ, de quarum usu eruditè disserit *Ant. Santorell. lib.19. Anteprax. med. c. 14. p. 530.* quæ cum largiori flamma imponantur, ut venenum validius extrahatur; in qua cucurbitulæ applicatione hoc animadvertendum est: si vulnus anteà sit magnum, non opus est, nec sectione, nec ustione, ubi verò est angustum, amplificandum est, & carnis non nihil circùm quaque auferendum, ac vulnera circularia faciendum (quam circularem sectionem Medici circinationem nuncupant) ita enim venenum è locis tollitur affectis, & licèt pars aliqua veneni interiora petiisset, cum multo ac copioso sanguine effluere cogitur, vulneraque sic circularia, diutiùs aperta, pro morbi conditione, servari possunt. Si autem vulnus sit exiguum, locus morsus tutò scarificari potest, & quidem si aliquod temporis spatium præterlapsum sit, sæpiùs applicandæ sunt, partibusque vicinis altiora vulnera infligenda. Possumus etiam animalium vivorum, ut columbarum, gallorum & gallinarum podicem deplumatum vulneri admovere, quorum operatio ut feliciùs succedat, animalium os est claudendum, ne possint aërem attrahere per partem superiorem, & si unum moriatur, mox alterum substitui potest. Vel quod alii magis commendant, animalia hæc viva non longiori morâ dissecta, & adhuc calentia læsæ parti applicentur, quia

non

non solùm quâdam proprietate, verùm calorificâ podicis, vel interiorum facultate dissecti nuper animalis sit efficacissima virulentiæ extractio, & doloris, si adsit, mitigatio. Applicari deinde possunt medicamenta maximè attrahentia; inter illa autem recensentur, allium, stercus columbinum, sinapi, nuces juglandes, ruta cum fermento, sal & mel, quibus commodè admisceri potest theriaca. Præprimis autem ab Autoribus quibusdam prodesse, si simul allium, cepa, ac triticum, commansum, acceptum, parti affectæ imponatur, perhibetur. Quodsi dolorem inferret, intermitti vel potiùs cum oleo hypericonis, seu lumbricorum terrestrium misceri debet. *Galenus lib.* 11. *de simpl. med. fac. cap. de cancr. ustis & lib.* 3. *de composit.* medicam: *Secundum gen. cap.* 5. commendat mirum in modum emplastrum paratum ex pice, oppoponace & aceto, ut:

℞. Picis lib. j.
Aceti acerrim. ℔j ℥viij.
Oppoponac. ℥iij.

Opopponax, ut ipse Galenus docet, in cyathis 4. aceti dissolvitur, aceti quod superest, unà cum pice decoquatur, quod ubi consumtum est, opoponax additur, & coquuntur, cavendo ne efferveant, scribitque ille, neminem se vidisse, qui illô usus sit mortuus. In mollioribus verò corporibus liquari potest, vino vel oleæ veteri, in robustionibus per se applicatur. Præterea in lib. de ther. ad Pisonem, felici cum successu expertum se fuisse, theriacam cum oleo rosaceo liquatam, asserit Galenus, qui d. l. videatur. Aëtius serm. 13. cap. 10. laudat medicamentum quoddam, quoniam vehementer arcet inflammationem, & rarò citra magnam utilitatem atque commodum adhibetur, quod seq.

℞. Spum. argent.
Cerussæ.
Resinæ pini ana ℔.j.
Ol. veter. ℔. iij.
Ceræ ℥vij.
Ammoniac.
Thymi amat.
Galban. ana ℥iiij.

Ceru-

Cerusam, argenti spumam, & oleum coquito, donec manus non inquinent, deinde liquefacta adjicito, & unito.

Hieronymus Capivaccius lib. 7. pract. cap. 12. laudat seq.

℞. Ciner. cancr. fluviat.
Allii, menth.
gentian. aristol. rot. ana ℥ij.
baccar. laur.
boli armen. ad ℥j.
M. C. succ. menth. f. emplastr.

At longè efficacissimum & expeditissimum in venenatis ictibus præsidium est cauterium actuale, seu *Vstio*, teste *Hildano cent. 4. obs.* 88. (qui tamen superficialem Ustionem haud sufficere monet. *cent.* 1. *obser.* 86.) quia nihil est, quod tutius ac validius omne veneni genus superare possit, quàm ignis ipse; venenum enim absumit, & diuturnum ulcus, per quod virus effluit, relinquit. Ustione peractâ, obnixè dare operam oportet, ut in existens crusta, quam chirurgi escharam vocant, celerrimè amoveatur, ut venenum quàm citissimè evacuari possit. Nam crusta in vulnere retenta, facit, ut venenum retineatur, & ad corporis interiora penetret. Crusta autem spatiô bidui excidit, si diligenter illinatur vitello ovi, & recenti butyro. Si locus sit carnosus etiam cum manuali operatione crustaremoveri potest, in qua, si sponte sanguis exeat, permittendus est in convenienti quantitate exitus. Quod si locus ustionem non ferat, aut æger ignem actualem admittere nolit, laudat Galenus lib. 13. meth. cap. 6. adhibenda medicamenta caustica, & escharotica dicta, inter quæ etiam Mercurius sublimatus, & præcipitatus utiliter usurpatur. Ubi verò deciderit crusta, ut venenum extrahatur, & continuo effluat, factâ vel non factâ inustione, omni industria ulcus apertum conservari debet, neque permitti, ut cicatricem ducat saltem spatio quadraginta dierum, ut *Aetius*, *Horstius B. Timæus*, & plerique practici monent.

§. 3. Proponunt nonnulli, extremas partes aliquando præscindendas esse, si partis conditio ferat, cujus rei tria recensentur exempla apud *Galen. in lib. 3. de loc. affect. cap.* 7. qui ab aspide, aut viperis demorsi digitos amputaverunt, & salvi evaserunt.

Quod

Quod tamen remedium minimè commendatur, nec quisquam Medicus conscientiosus auderet illam operationem administrare, paucissimique reperirentur, qui sanæ partis abscissionem perferre vellent. Secundò non ita necessarium hoc factu esse videtur: quòd venenum canis rabidi non sit tàm celeris activitatis, ac venenum aspidis, aut viperæ; quare vel in laudatis auxiliis conquiescere, vel ad alia venenum extrahentia ab practicis affatim proposita confugere possumus.

§. 4. Inter alia remedia pro veneno extrahendo à loco commorso, quidam hoc proponunt, ut nimirùm servus aliquis adhibeatur, qui ore vulneri præsertim levi apposito venenum exugat, at verò, cùm sit maximè periculosum, ac dubium, id tentare, quod Ethnici atque Gentiles in mancipiis suis licere putabant, in fratribus christiana charitas non permittit, præsertim cùm alia remedia, quæ idem præstare possint, sint ad manus; hujus itaque loco vulneri apponere possumus *HIRVDINEM* unã, vel plures, quæ virus optimè, unâ cum sanguine, exhaurire valent. Ut autem cognoscere possimus, an ex adhibitis auxiliis chirurgicis & aliis topicis remediis omne venenum extractum & dissipatum sit, nihilque periculi ampliùs subsit, *Paulus* ex *Oribasio* eadem probatione indigère mandat, quæ scil. usurpata fuit in cognitione morsus, utrùm esset animalis rabidi nec ne, ut fiat emplastr. ex *nucibus juglandibus*, & ulceri applicetur, gallo deinceps offeratur, quòd si post esum moriatur, erit indicium, nondùm esse ulcus ab omni veneno liberatum, & propterea vulnus etiam apertum servandum erit; operaque danda est, ut reliquum etiam extrahatur. Si verò non moriatur, erit signum, omnes veneni reliquias absumtas, & vulneri cicatricem remediis, talem facultatem atque potentiam habentibus, obducendam esse.

§. 5. Quod restat, non prætereunda est, hîc controversia quæ apud Autores movetur de V.S. an scil. in hoc affectu administranda veniat, nec ne? Alii suadent eam, dissuadent alii, singulique autoritatibus ac rationibus probare conantur suam sententiam. At verò cùm posterior pars, dissuadentium puto, palmam præripere videatur, ipsi non possum non addere calculum meum; Omnino enim, si quid judicare possum, firmioribus rationibus ful-

 ciuntur

cruntur illius argumenta; nam sanguinis missio inanitis venis venenum intimiùs penetrare facit, illud exagitat, & quod pessimum, vires debilitat, quæ tamen in tàm vehementi affectu maximè necessariæ sunt. Ideò cùm nulla utilitas, nullum commodum à V.S. sperari queat quin potius multa immineant discrimina, uti remedium periculosum, & valdè dubium, omninò rejiciendum esse, arbitror. Quòd si verò febris putrida aliqua insignis, vel aliquis acutus morbus ex vitioso apparatu, vel ex aliqua extrinseca causa, ante quadragesimum diem commorso superveniat, qui per sui naturam atque essentiam necessariò V. S. indicet; si sanguis detrahatur, ad penitiores partes venenum attrahi poterit, & hinc sequi rabies; si sanguis non mittatur, apertum observatur discrimen ex febre, vel morbo acuto ipsi ægrotanti. Ad hunc ancipitem casum suadent, ut sanguis evacuetur, non tamen venâ sectâ, sed applicitis cucurbitulis partibus inferioribus, quibus major vel minor sanguinis copia evacuari poterit, pro majori vel minori sanguinis copia, habitôque respectu ad vires, & sic abundantia diminui, ac venenum à partibus superioribus revelli, & ad exteriora trahi poterit.

§. 6. Ex *Fonte PHARMACEUTICO* nunc hauriendæ auxilia veniunt: ubi se primùm offerunt *purgantia*, de quorum usu varie apud autores judicatur: negativam enim quidam, affirmativam alii tuentur; quicquid autem dicant, maximè purgantia pro hoc debellando hoste necessaria, ex ratione sequenti patebit; Nam cùm hujusmodi venenum similitudinem vel analogiam habeat ad humores frigidos & crassos, qui etiamsi non reperiantur in corpore à principio, ex natura tamen hujus veneni, pedetentim ac successivè generantur, cùm venenum jam venoso generi sit communicatum, & in his humoribus figatur, si debet educi, illius pabulum evacuetur, necesse est. Ad hanc rationem accedunt auctoritates præclarissimorum virorum, qui cathartica medicamenta maximè commendant. Et si forsan quis *Galeni* autoritatem in medium proferret, quòd nimirùm ille nullam mentionem de purgante fecerit, respondeo, non esse mirum, quòd rem, uti notissimam, omiserit; alibi tamen docet, ubi humores p.n. in corpore redundent, illos omninò esse evacuandos. Cæterùm verò

libenter

libenter concedo, cathartica medicamenta non rectà veneno huic adversari, neque expugnare illud posse, sed potius vi alexi pharmacâ infringendum; verum tamen hoc mediatè præstare posse, dùm nimirùm illos vitiosos humores, in quibus residet venenum, evacuant, adeò, ut ad humorum evacuationem, venenum etiam ipsum extrahatur; nemo prorsus negabit.

§.7. Quô autem tempore administranda sint purgantia, incertum videtur, ob manifestum Autorum dissensum. Alii enim à principio purgationem; Post verò principium evacuationem alii & plerique omnes suadent. Verùm unica distinctione controversia hæc dirimi posse videtur; considerandum nimirùm esse modum, quo venenum hoc in corpus immissum est. Si enim labris & lingua venenum in corpus attractum sit, cùm nullus sit locus scarificationibus, cucurbitulis, ustioni ac cæteris similibus, & paucis diebus rabies excitetur, tunc *Rhasis* præceptum observandum, ut mox humores purgentur. Si verò morsu venenum partes externas possideat, in principio purgare non licet. Ideoque cùm *Rhases* statuit, statim in principio esse evacuandum, id de priori casu intelligendum est: de posteriori verò, quando *Græci* & *Arabes* post principium purgationem adhibendam esse, asserunt, intelligunt tali modo, ne scil. venenum ex vulnere ad interiora corporis trahatur; sed tùm tandem purgantia adhibenda, cùm omnia ritè, ac bene circa vulnus peracta sunt. Et licèt interdùm omnibus probè ac optimè peractis, tamen fieri possit, ut aliqua veneni portio etiam quàm minima ad internas partes penetraverit, humores sibi analogos inficere, corrumpere atque in sibi similem materiâ vertere possit, ideoque cogitandum de purgatione, ut simùl & venenum evacuetur, & alii humores ab infectione serventur, simulque apti ad concipiendam corruptionem peculiariter præserventur per ea, quæ antipathia quadam huic veneno adversantur.

§.8. Notandum verò est, purgationem omnium consensu cum pharmacis validioribus institui debere, ex eo fundamento, quòd humores peccantes ratione suæ substantiæ ac qualitatis non possunt, nisi cum vehementibus pharmacis, educi, quapropter Antiqui omnes proponunt *elleborismum*, uti omnium alio-

rum præstantissimum ac efficacissimum remedium. Proponunt quoque, *hieram diacolocynthidos*, *hieram Logadii*, præsertim etiam *hieram Pachii*: Laudant & *pilulas ex elleboro*, *elaterium*, *antimonium*, *pilulas de lapide Lazuli*, *Cochias*, de *nitro* ac *fœtidas*. Quòd si verò ætas, temperamentum, vires vel aër vehementiora talia non concedant; mitiora eligi possunt ac mediocria, ut est *Senna*, *epithymum*, *polypodium*, *elleborus niger*, *myrobolani nigri*, & *agaricus* præcipuè, qui simùl veneno resistit.

§ 9. Sed residuis scopis jam satis faciendum erit, ùt nimirùm veneni impressa corpori διάθεσις corrigatur, partesque principes roborentur: ut eò meliùs venenum superare possint; id quod commodè medicamenta *alexipharmaca* præstare poterunt. Nec erit inutile, si cor muniatur cum externis quibusdam antidotis, ut cum *Theriaca* sola vel cum oleis famosis *Magni Ducis Hetruriæ* aut *oleo scorpionis Matthioli*, quæ venenum evocare, & simùl cor roborare valent. Cæterùm cùm plurima ab Autoribus recenseantur tàm simplicia quàm composita medicamenta specifica, atque non pauca fabulosa ex iis videantur, ideoque potiora quædam saltem in medium adferam. A plerisque commendatur *Alyssum*, planta, de quâ tamen autores non consentiunt, unde eam nunc in medio relinquemus: videri interim de eâ possunt *Galen. l. 6. simplic. med. facult. Tabernæmontanus l. 2. herbar. sect. 5. c. 5. Sennert. l. 1. part. 2. prax. c. 16. Fr. Sanchez. qui juvat*, inquit, *etiam Alysos herba, sed non cognoscitur a nobis*. Magni æstimantur deinceps *cancri fluviatiles*, cùm eorum cinis, tùm decoctum multo *anetho* admixto, *scordium*, *chamœdris*, *gentianæ radix*, *rutæ agrestis semen*, *chamamelum*, *centaurium minus*, *artemisia*, *aristol. rad. sylvestr. rosæ*, (quam tanquam oraculo repertum remedium commendat cum Plinio *Heredia*, *vincetoxic. radic.* ℥jß. exhibitæ, *pulegium*, *oxylapath.*, *carduus benedictus*. Inter medicamenta composita, celebratissimum est *antidotum de cancris*, apud omnes scriptores summoperè commendatum, ut videre est *ex Dioscoride lib. 6. 37. Galeno 2. de antidot. cap.* 11. testaturque Galenus, neminem unquàm mortuum esse, qui cancrorum pulvere rectè usus sit, & quidem *lib.* 11. *de simpl. medic. facult. ex Æschione*, suo Præceptore, assumit cancros fluviatiles post ortum canis captos, quando Sol

leonem

leonem transit, lunâ decimâ octavâ, & eos vivos in sartagine æris rubri impositos comburit: duo sumit cochlearia vel ℥ij. pulv. gentian. cochl. unum vel ʒj. vini merac. IV. cyath. vel ℥jß. vel paulò plùs, quæ in modum polentæ dilutioris subacta quotidiè bibend exhibet. Porrò ex *Asclepiade* recipit Galenus ciner, cancr. part. decem, gentianæ partes quinque, thuris partem unam, quorum simul mixtorum quotidiè, exhibet cochlear unum, i.e. ʒj. & quidem boni ponderis, vel ℈iiij, cum aq. insperſione ad 40 diem, aut, si jam à morsu processerint aliquot dies, duo cochlearia quotidiè propinari possunt. *Avicenna* quoque asserit, hoc remedium pro hoc morbo superando esse egregium ac peculiare. In quo tamen animadvertendum est, non solùm marinos (uti quibusdam placet) cancros, sed etiam fluviatiles, à mari remotos, & dulcium aquarum, in usum vocari posse, quâ de re eruditè disserit *Sachs in sua* Γαμμαρολογια *cap. 3. pag.* 640. 641. &c. Quantùm commodi præbeat *Theriaca* ad superandam vim rabidi canis mortiferam, tam foris illita ulceribus, quàm intùs assumta, testantur Medici celeberrimi, præsertim *Zacut. Lusitan. de Medicor. Princip. Hist. lib. V. pag.* 848., ut efficacissimum ac præstantissimum auxilium commendans, cui tutò in hoc affectu præcavendo fides dari possit. *Scribonius Largus lib. de compos. med. cap.* 171. *&* 173. laudat quoddam antidotum *Apuleji Celsi*, & *cap.* 176. aliud cujusdam *Cassii* & *cap.* 177. *antidotum Martiani*, Medici, cui quia nihil deest, τέλεια appellatur, hoc est, perfectum antidotum quod optimo cum successu in hoc malo curando adhibeatur.

A *Iulio Palmario Constantino* Medico Parisiensi, *Fernelii* discipulo *lib. de morsu can. rabid.*, alexipharmacum traditur, quod solum neglectis aliis remediis, imò & victus ratione, quocunque à morsu tempore usurpetur, certissimum ac tutissimum remedium existat, ut quo nullum unquàm animal usum fuerit, quod non miserrimi hujus affectus periculum evitârit, quacunque uteretur victus ratione, est autem tale:

℞. Fol. rutæ, verben. salv.
plantag. polypod.
absynth. vulg. menth.
arthemis. melissophyll.

beton.

beton.hyperic.
centaur.minor.singul.
æquale pondus.

Colligantur singula, ubi sunt efficacissima, siccentur in umbra. Hujus pulveris externum & internum usum felicem vide apud celeb. *Horst. Tom.* 2. *p.*334. B. *Ti naum* d. l. Laudant quoque eundem *Sennert.lib.*1.*part.*2. *cap.XVI. pag.* 440. *Blasius Medic. univers.cap.*5. *pag.*391. *Petrus de Heredia in tract.variar.disput.*1.*c.*4. *pag.*13. *Schenck.observ.*30. *pag.*858. Neque silentio involvendum *Hepar canis rabidi*, quod tanquam præsentissimum antidotum commendat prælaudat *Gr. Horst. d. l.*, si scilicet primis viginti quatuor horis post morsum nondum elapsis, coctum exhibeatur. Cæterum *Sudorifera*, ut venenum dissipetur exhiberi quoque possunt, ut *decoctum angelica, petasitis, myrrhidis, carduibenedicti, scordii, pimpinell. & florum cordialium cum pulvere lapidis bezoar oriental.* & theriacâ: Commendat etiam veluti nobilissimum medicamentum, *mixturam simplicem Hartmann. in prax. chymiatr. pag.*59. & *D. Michael.* in Lit. ad *Sachs.* attestatur, nihil se invenisse salubrius in morsu canis rabidi, quàm *spirit.* 69. *rectif.* cum *Tinct. bezoard.* aa. commist. & ad gutt. 50. 60. exhibit. per aliquot dies, addito insuper *pulv.* 69. *calcinat.* & hac ratione nullis aliis internis remediis opus fuisse addit. Post *sudorifera* conveniunt etiam *diuretica* alexipharmacis mixta, vel exhibita, quæ utrâque facultate pollent, inter quæ præstant *spica celtica, valeriana, asarum, scordium*, & alia, quæ eôdem tempore, quô sudorifera adhibentur, conveniunt.

Amuleta quoque commendantur & præsertim ab *Hoffmann.* in opere *method.medend.libr.*1.*cap.*19: *de alterat.pag.*293. Dens caninus à cane, qui momordit, avulsus, brachio alligatus. Corium itidem phocæ, ursæ. Descriptionem etiam alicujus amuleti videre licet apud *Schenck.lib.VII.observat.*33.*p.*859.

§.10. *Fons diæteticus* suppeditat *Victus rationem* quæ & primas & supremas curationis partes in omnibus affectibus obtinet teste *Trallian.lib* 9. *cap.* 3. & quemadmodùm semper ex adversa & prava diæta morbi augentur, aucti deinceps celeriùs interitum afferunt: ita quoque bona victus ratio sæpè sola omne curationis punctum absolvit. Unde neque hoc in affectu, licet sola

haut

haut sufficiat, negligi debet. Sit itaque *Aer* mediocriter calidus & lucidus, in loco maneant sereno; aërem contra vitent crassum, loca frigida & obscura. Adsint continuò amici ægris, qui eos consolentur, erroresque ipsis patefaciant, mœroresque illorum timores atque iram jucunda conversatione omninò pellant. Fugiat ægrotans cibos pravi succi & difficilis coctionis, pullos nimirùm columbinos, qui à tota substantia hîc nocent. Præscribatur è contra simplex, & qui à proprietate juvet, qualis caro arietis perhibetur. Ex *piscibus* commendantur cancri Fluviatiles, quos prestantissimum cibum in prandio cœnâque statuit *Fr. Sanchez. lib. de venenat. p.* 295. Inter *fructus* utantur nucibus juglandibus, caricis, amygdalis, & pistaciis. Ex *herbis* & *radicibus* vescantur, allio, cæpis, raphanô, porrô, asparagô, & cichorio agresti & brassica. *Panis* sit ex farina optimi tritici, multô fermentô exceptus, cui semina quoque odorata vel aromata commoda immisceri possunt. *Potus* sit vinum meracum, quod omnibus venenis adversari, ab Autoribus asseritur. Hydromel etiam & Cerevisia absynthiaca, lactisque serum commendatur *à Joele in sect.* 4. *p.* 146. somnus & vigiliæ moderatę sint. Alvus servetur lubrica ac aperta. Et Affectus animi, quantum fieri potest, rationis freno cohibeantur.

CAPUT IX.

Hydrophobiæ Curationem indigitat.

§. 1.

HActenùs de *Præservatione*, hujusq; scopis dictum est. Nunc quid agendum veniat, ubi aquæ timor supervenit, paucis videbimus. Equidem plerorumque judicio spem tunc valdè dubiam, imò ferè nullam esse, superiùs notatum; Interim ægros quo minùs prognosticis relinquamus, planeque deseramus, vetat christiana charitas, quippè quæ dùm spirat, sperat; & verba, quæ *Sanchez. d. l.* profert, quasi sua faciens, dicit: *Contingit autem quandoque, ut etiam hi serventur.* Quare horum quoque curam, quantùm licet, geremus.

§. 2. Notatu v. dignum, quod *Avicenna* scribit: signum nondùm conclamatæ salutis esse, si intuentes ægri in speculum, se ipsos cognoscant, mensque adhuc valeat. Sed utut habeat, ceu dictum, deserendi non sunt.

§. 3. Cùm

§.3. Cùm itaque eò usque res devenit, ut jam æger ὑδροφόβος factus fuerit, supra laudata remedia appropriata ex *pharmaceutico fonte* depromta, in usum denuò vocanda sunt. Propinari autem debent in majori dosi: sic, licèt *Palmarii* pulv. aliâs ʒj. sufficere soleat, possumus tamen autore *Herediâ*, ad ʒij vel etiam ʒiv. usque ascendere, & ægro die quolibet præbere. Et monet ipse *Palmarius*, omni artificio id tentandum, ut assumat; hinc etiam ægrum vinciri, & ore aperto pulverem suum infundi jubet. Idem quoque quoad alia id generis præsidia observare convenit, inter quæ prestant etiam *pulv. serpentum* & *viperarum*, quem describit *Roderic. à Fonseca lib. 1. cons 25. p. 173.* Cætarùm de *Purgatione*, ut & V. S quam conducere arbitratur *Sanchez. d l.* dubito; certè cum utriusque præsidi magna vis sit, & efficacia, singulari hîc, prout ipse monet, cautione opus, & longè tutiùs esse reor, enarratis *alexi. pharmacis* & cor roborantibus prudenti curâ inhærere.

§.4. Restat, ut, quandoquidem *Aqua potus*, & *in aquam immersio* à multis egregiè commendatur, de his quoque brevibus dicamus. Sunt qui solùm marinam aquam prodesse asserunt, alii vero & dulcem laudant: suadentes insuper omni arte ut aquam bibant ægri, moliendum esse, & ne hanc timeant, longissimis ac tenuissimis fistulis metallicis è longinquo adducendam monent. Verùm quàm parùm hoc conferat, videre est apud *Herediam*, & alios Pariter se res habet quoad immersionem in aquam, seu, uti *Helmont.* vocat, Ideæ dementis suffocationem: magni quidem illam faciunt *C. Celsus l. 5. c. 27. Baccius de Thermi l. 5. c. 2.* aliique plures, sed licèt fortè respectu præservationis aliquid largiri, cum aliis, possem, tamen in ipsa curatione sive aquæ potum, sive immersionem insigniter prodesse, ut statuam, tot prohibent infelicis admodùm successus exempla, quæ passim apud gravissimos autores legere est. Quare potiùs subscribo *Palmario* & *Codronchio*, qui multùm in hoc argumento præstiterunt, nec firmis destituuntur rationibus, interim non dubitant, tàm aquæ potum, quàm & immersionem in aquam, sive dulcis fuerit, sive marina, tanquàm maximè noxia, interdicere.

§.5. Plura pagellarum angustia non admittit, igitur filum abrumpo, sperans, me æquum ubique ac benevolum lectorem reperturum, qui in magnis & voluisse satis esse judicet.

§.6. Tibi verò ô cælestis Archiater JEHOVA, cujus donum Medicina est, Tibi pro præstitis hactenùs animi & corporis viribus immortales sint gratiæ; fac quæso ut vergant hæc omnia in Sanctissimi Nominis Tui gloriam & ægrotantium salutem.

COROLLARIA.

I. *An Hydrophobia novus planè & antiquis incognitus morbus? N.*

II. *An Morsus Canis rabidi templo divô Dononi, vel sacello Divi Bellini sanetur? N.*

III. *An* Virgilius *in Medicinam fuerit injurius, dùm eam mutam atque in gloriam vocavit? N.*

IV. *An, si Curatio nõ procedat, mutanda statim sint remedia? N.*

V. *An* τὸ θεῖον Hippocratis *ad causas occultas pertineat? Aff.*

VI. *An matutina studia vespertinis sint salubriora? Aff.*

FINIS.

BEYERE, *Coi* cui ſtudium placet,
Et qui medentum docta volumina
Verſare jam dudum inchoâſti,
En! Tibi rara viret corolla!
Funeſtiorem dum *rabidi canis*,
Sat erudito conſilio, doces
Sanare *morſum*; Phæbus artem
Approbat, ingeniumque laudat.
Edax caninis rodere dentibus
Livor laborem geſtiit improbum:
Sed cùm videret, Te efferatis
Morſibus egregiè mederi,
Mox abſtinebat. Iamque ſcientiæ
Pindus brabéum ſplendidius parat;
Io! faxit *artis* primus Autor
Iova, tibi benè cuncta cedant!

Pereximio Dn. CANDIDATO *συσσίτῳ καὶ συνοίκῳ dilectisſimo benevoli affectûs monumentum poſuit*

LAURENTIUS Strauß/
Med. D. PP.

FRaternam renovas Laudem *Clariſſime Beyer*,
Dum Cathedram ſcandis, pandis & artis Opes:
Ingenio & Virtute ſimul Te ſiſtis adultum,
Sis ætate licet nunc minor, arte potes:
Arte potes, monſtrasque ſimul, quòd dulcis Hygeia
Et tua te Virtus jam facit eſſe Virum.

Unde

Unde Tibi meritas *suprema Licentia* laudes
Præparat, *ingenii præmia digna tui!*
Scilicet hoc pretium vitæ est, habitique laboris
Gloria, Doctoris Ius, Titulique Decus.
At Tu cui meritum tribuit Schola Tanta Brabéum,
Spernito judicium, quod dare Vulgus amat;
Proximus ille Diis vivit, qui talia ridet,
Fatorumque vices publicat absque metu.
Dumque facis, moneo quæ, tantos grator honores,
Et grator Patriæ, grator & inde Tuis.

Præclarissimo Domino Licentiato amicitiam intemeratam sic testatur, Novisque honoribus gratulatur

Ernestus Bogislaus Moscherosch.

EXantlatorum Frater nunc Dona Laborum
Restant, quæque paras sedulitate tua.
Vltimus hic labor est, Cathedram cum scandis, & ore
Docto te dignum gnavus honore probas.
Hoc tibi fraterno voveo de pectore, Frater,
Vt te Chironem sistat Hygeia Tuis,
Vt cum mentis opes Italis Gallisque probasti,
Visere quos properas, ingeniique dotes:
In patriam redeas optatus & auctus honore,
Quem studio Medico te meruisse ferent.
Quæ si nactus eris tandem, charissime Frater,
Splendor eris Patriæ, splendor & orbis eris.

Paucula hæc Fratri plur. dilecto festinante calamo deproperabat,

IOH. ADOLPHUS Beyer/U.I.D.